



**Eximio Ac Admodum Reverendo Domino Liberto  
Fromondo S. Theologiæ Doctori, & Sacr. litterarum  
Profeßori Regio, insignis Eccles. Colleg. B. Petri Louanij  
Decano: Et Reverendo Admodum Domino Henrico ...**

**Froidmont, Libert**

**[Louvain]**

Text

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73815](#)

EXIMIO AC ADMODVM REVERENDO  
**DOMINO LIBERTO FROMONDO**  
S. THEOLOGIÆ DOCTORI,  
& Sacr. litterarum Professori Regio, insignis Eccles.  
Colleg. B. Petri Louanijs Decano:  
ET REVERENDO ADMODVM  
**DOMINO HENRICO CALENO**  
S. THEOL. LICENTIATO  
Canonico Metropol. Eccles. Mechlin. & Archipresbyt. Bruxell.

ADMODVM REV. DOMINI. S. P.

**G**RATIAS agimus, quod prodire tandem ē latebris, abiectā  
laruā Typographi, & palam agete nobiscū dignamini.  
Speramus enim viros Ecclesiasticā dignitate celebres  
modestius auctuōs luce palam, quām huc usque clanc-  
culum, & velut ex insidijs auctum contra nos sit. Theses  
quas vidistis, & quæ enumeratis cætera, à nobis expressis  
respondendi necessitas, tum pro summis viris ordinis nostri, quorum fama  
indignè petebatur; tum longè magis pro doctrina, quæ nobis hactenus vi-  
detur cum Romanorum Pontificum diplomatis, & sacrofæcti Concilij  
Tridentini sanctionibus cōuenire: certe de qua ab annis prope (vel ipso non  
diffidente Iansenio) quingentis dubitatum in Ecclesia Dei non fuit. Itaque  
ingenti illi Ianseniano volumini Theses opposuimus publicè disputandas;  
Querimonijs vestris, Theses apologeticas; ijdem Querimonijs iterum re-  
petitis & auctis, Thesum Appendicem. Quia verò in Querimonijs multa  
erant ad cōtrouersiam Theologicam & rem, quæ agitur, minimè pertinētia,  
ijs separatim est respōsum. Censuras & Innectiuas Iansenij necessarium fuit  
edere, ut illis satisfaceremus, quibus persuasum iam erat, nos nimis acriter in  
immerētem Iansenium inuectos fuisse, & nimis graues in eum strinxisse cē-  
suras. Habetis eorum rationem, quæ scripta à nobis sunt. Ultra hæc latere  
aliquid in calamis, quod breui sit effundendum, quā, quæso, conjecturā estis  
afflicti? nisi forte existimetis ipsis Querimonijs vestris non esse à nobis ex  
æquo responsum.

Scriptiuncularum (scribitis) & scandalorum sit tandem finis. Scandalorum  
nec initium esse debuit. Vnde igitur scandalum, & per quem? nonne à libro  
Iansenij, & per festinatam eius & clandestinam contra prohibitiones Apo-  
stolicas editionem? led vñ homini illi, per quem scandalum venit. Qui au-  
tem iustā & necessariā defensione offenditur, accipit ille scandalū non datū,

Scriptiuncularum sane sit finis, quando vobis videbitur, qui initium dedistis,  
protruso in lucem Iansenij Augustino. Mirum tamē eidem Epistolæ, quā id  
peritis, nouum à vobis scriptum intexi, Quinquagenam illam amare, vt  
vultis, à nobis in Iansenium dictorum, studiose quidem collectam, at non  
per omnia, cā quā oportuit accuratione. Quid hoc est, nisi ultimum ver-  
bum.

bum sibi vindicare? nos de eo contentiosi esse nolumus: ad eam tamen, quæ per epistolā nobis significastis, ne inurbani simus, per epistolā respōdemus.

Sub Pontificatu Sixti V. quo olim euentu pugna ista gratia, sit a P. Lessio cum maioribus vestris, (sic enim vos duo testamenti Ianseniani executores loquimini, quasi Academiam, cuius præcipua pars contra vos stat, representaretis) quo, inquam, euentu pugna ista depugnata sit, non ignoramus: ignorare tamen vos videmini. Si nescitis, exitus is fuit, ut Lessij doctrina vindicaretur à censura, quæ erat per usurpatam auctoritatem immērito contra ipsam concepta. Disceptatio, quæ nobis Romæ cum Thomistis fuit, Iansenium non attingit; sed voluistis horum accessione causam Iansenij robustiorem facere, cum timeretis per se stare non posse. Cur enim per Iansenij latera hos impetimus, aut quomodo impetrere possumus, cum in præcipuis controversiæ capitibus cōtra Iansenium nobilcum stenē verbī gratia:

*Possibilem esse statum puræ Naturæ. Deum velle omnes homines saluos fieri. Christum pro omnibus esse mortuum, pro omnibus orasse, non tantum pro electis. Parvulos ob solum originale non puniri iugne. Dari gratiam sufficiētem, qua non sit efficax. Libertatem indifferentiæ ad agendum. Non agendum cum vera Christi gratia consistere. Dari actus naturales moraliter bonos. Non omnia infidelium opera esse peccata. Ignorantiam inuincibilem excusare à proprietate dicto peccato. Attritionem ex metu gehenne esse honestam. &c. Hæc non nostra solum, sed Thomistarum etiam, cum D. Thoma, contra Iansenium est doctrina. Frustra ergo eos in causa ista cum Iansenio inuoluitis.*

Quod doctrinæ judicium penes sedem Apostolicam relinquitis; faciūt quod a principio factum oportuit: quodque ut faceretis, pro viribus conatus sumus. Atque utinā fecisset Iansenius, neque judiciū usurpasset in ea controversia, quam ipse fatetur esse huiusmodi, ut supremum Ecclesiae tribunū suspensum detineat; (To. 7. col. 4) neque de vnius tantū, aut alterius Doctoris sententia, sed de tota Theologorum schola, quam erroris Pelagiani & Semi-pelagiani non semel condeinmat. An unus ergo ipse, aut cum ipso vos duo plus & sapitis, & audetis, quām supremus Ecclesiae judex? fecistis, quod per Apostolicam sedem non licuit; quod licuit, non fecistis, ad propositas inquam disputationes non venistis. Sed & in illis libellis, quos pro Iansenio Thesibus nostris opponitis, vix attingitis quæ in quæstionem veniunt, parerga vbiique ac diuerticula queritis. Erat tamen in Thesibus istis satis multa ex Scriptura, Concilijs, Patribus, ipso Augustino deponpta, ad quæ respondere oportuisset, ut recte defendetur Iansenius.

At enim de solo facto litem componi coram arbitris vultis. Placer, deligantur arbitri. Verum non in unico facto lis versatur, cuius vos solum ministristis, nempe arguendusne sit impostura & calumnia Iansenius, quod dicere non sit veritus. Suarum, aliosque, obiectiones Augustini pro respōsis, doctrinam Pelagi pro Augustini per errorem accepisse. Plura, plura sunt, quæ in Thesibus querimur a Iansenio primarijs nostræ Societatis Doctoribus imposita, & calumniosè in eos dicta, quæ nuper publico Academiaz arbitrio judicioque commisimus. Hæc omnia in judiciū venire oportet. Nam cius

eius quod vos solum adseris, quilibet qui tam Theses nostras utraque, quam responsionem vestram in Querimoniâ legerit, facile arbiter esse poterit.

Spatiosum, ut vultis, & floridum Ianseniani operis pratum ita perlustrauimus, ut mentem ipsius probè nos percepisse & expressissime arbitremur. Quas collegimus ex eo Inuestigatio & Censuras, nullam amariciem illæ habent à nobis, sed prout in libro ipso Iansenij, aut indice reperimus, ita deditus, tam melleas ac suaves quam vobis ipsis placuit eas nobis primum propinare. Quæ ab auctore Indicis crudius quam à Iansenio sunt posita, adeo non tamquam dicta a Iansenio arripuit, ut etiam Indicis ea esse accurate annotauerimus. Non igitur contra p̄fationis nostræ fidem egimus, cum quod Iansenij est, Iansenio; quod Indicificis, Indicifici assignauimus. Quod si nonnulla in canali Indicis crudius sapient, quam in ipso fonte, id nō nobis luendum est, sed Indicifici, & vobis, qui Iansenianum acetum etiam hoc absynthio condiri voluistis.

Quæ ex Thesibus nostris amarissimè (ut loquimini) in Iansenium dicta collegitis, si vera sunt, cur reprehenditis? Si fallâ creditis, ad arbitrii revocate: defendere parati sumus. Vos similiter Iansenij & vestra in nos dicta defendite, si potestis: ad arbitros prouocamus, quos à nobis facturos confidimus; si ea quæ reprehenditis, considerent quibus locis, cur, & qua occasione & sensu dicantur; præsertim si aduentant ex ijs non pauca à Iansenio ijsdem, aut æquivalentibus verbis esse asserta: cuiusmodi est 1. Quod plures sanctos Ecclesiæ Patres, potissimum Græcos, Augustino antiquores, ipsumque Hieronymum Semipelagianos faciat. 2. Quod scholasticos Doctores tam antiquos, quam recentiores, atque in primis doctissimos Societatis nostræ Patres, eiudem erroris, imò grauior vbiique insinuat. Quis enim jure nobis succenseat, quod censuram virgam, Catonianum supercilium, Censuras &c. justissimæ defensionis gratia reponamus Iansenio, qui hallucinationes, et errores, heres &c. tam liberaliter ac plenâ manu sexcenties (ut in Censuris eius videtur est) grauissimis probatissimisque Auctoribus non lacestis impingit? Quod verò propositiones a duobus Pontificibus damnatas scholis ac pulpitis velit reddere, quis ambigat? cum ex ijs tringita, aut eo amplius ut veras defendat & fuisse doceat. Quis non immodestè gloriantem meritò afferat? qui Doctores omnes scholasticos, & sua in primis Academiæ scriptores omnes, in ijsque non paucos illustres Belgij Praefules, ita exorbitasse clamitet, ut te ipsâ in Semipelagianismum incidisse aferat: nam in nostrâ, eorum quoque doctrinam condemnat. Hæc sunt præcipua acerbatis capita, quæ ex Thesibus nostris collecta, à vobis arguuntur.

Quare quod sine dolore ac tedium hæc legere non possitis, non inde sit, quod inique sint in Iansenium dicta, sed quod vera esse sentiatis. Magna enim vis est veritatis, neque odium solum, sed etiam dolorem subinde ac tedium parit.

Qualem vos virum Iansenium noueritis, ac testari jurejurando veliris, ad rem non facit. Non mores eius carpimus, sed doctrinam modumque scribendi, quæ cuiusmodi sint ex ipso eius opere, non ex vestro testimonio est p̄tendum. Neque si is est vir, quem prædicatis, ideo ista carpi non debuerunt, siquidē lōge grauius judicium fert Iansenius de Eminentissimo Cardinali Bellarmino, & Lessio, & id genus plurimis, de quorum sanctitate nobis meliori jure testari licet, quam vobis de Iansenij, tactis etiam, si placet, sacrosanctis Euangelij, & inuocata in caput nostrum diuini Numinis ira.

Non

Non ergo sunt atroces in Episcopum injūtiae, Boni Domini, sed iusta est  
doctissimorum ac sanctissimorum virorum contra graues censuras defensio,  
ad quam nos debitus amor, & ordinis nostri, & Catholicæ porissimum verita-  
tis rapit & impellit. Vos videritis quo singularium vestrum opinionum, &  
vnius hominis defendendi amor rapiat & impellat. Quare oratio illa, *Domine  
dimittte illis, non enim sciunt quid faciunt*, a nobis potius usurpanda est: nos  
enim scimus quid facimus per gratiam Christi Seruatoris, orantis & morien-  
tis pro omnibus, etiam pro his, qui hoc nesciunt.

Sua letis ut ad rem veniamus: id iam tum, quando cum Iansenio Thesibus  
decertare coepimus, omnium calculo a nobis abundè factum est: quæ enim  
alia res hic agitur, quam qualis sit doctrina Iansenij, cuius præcipua capita com-  
munibus Catholicorum armis, id est, sacræ Scripturæ, Conciliorum, SS. Pa-  
trum, Doctorum, & vestræ in primis Academiarum & Episcoporum Belgij testi-  
monijs impugnauimus. Rem igitur quæ agenda erat, egimus; vestrum fuit  
semper ad rem venire & contra hæc tela Iansenium propugnare, Augustini  
doctrinam ac sensum (quem toties appellatis) adeo non negleximus, ut singuli  
doctrinæ nostræ articuli clarissimis eius testimonij quasi vallo quodam per-  
petuo sint muniti. Neque obiecit ista sibi ( ut jactatis ) dissoluitque Iansenius,  
sed ea potissimum, quæ maximam vim habent ne attigit quidem; quæ  
primus hic erit vobis labor, qui ad Augustinum prouocatis: In labyrintho  
doctrinæ Augustinianæ errare minimè is potest, qui Catholica dogmata, non  
ex ipso solùm (quemadmodum heretici ex Scriptura volunt) sed iuxta Tride-  
tini monitum ex vñanimi SS. Patrum & Ecclesiarum consensu rimatur: hoc Ari-  
adnes filum qui non sequitur, numquam is ex eo Labyrintho felicem exitum  
reperiatur. Hac via, si placet, veritatem nobiscum inquirite, aut si reperitis osté-  
dite, non ex vnius hominis sensu, Augustinum aliter, quam cum haec tenus  
Doctores omnes intellexerint, interpretantis; Pro quo nimis pugnaciter velle  
contendere, hoc est asperam viam ingredi, non mollem charitatis. En ar-  
quis Iansenium communem scholasticorum Aduersarium, iam diu nos in  
arena prouocatum sumus aggressi, sanctorum Patrum & Ecclesiarum totius cum  
ipso Augustino consensus, quem & agnoscit & sequitur S. Thomas. Hæc dis-  
soluenda vobis, ut defendatur Iansenius, catena est, non alia nobis concin-  
nanda, quam quæ iam inde à D. Thoma & scholasticis post eum Doctoribus  
est contexta. Quare laborabunt potius nobiscum D. Thomæ discipuli tota  
Europæ diffusi ut ea indissolubilis contra Iansenij vestrosque conatus omnes  
persistat, quam ut vnius Iansenij gratiâ communem, quâ cum Ecclesia con-  
nectimur catenam perfringant. Scimus enim varijs in regionibus multorum  
calamos contra Iansenij doctrinam occupari de qua & nos Sedis Apostolicæ  
judicium expectamus.

DD. VV. Serui in Christo  
Professores Sacrae Theologie  
Coll. Societatis IESV Louan.